

ARCANA
REGNORUM
ET RERUMPU-
BLICARUM:

è locuplete

CORNELII TACITI
pena eruta:

*Et spatioso veteris & nostratis aevi scri-
ptorum mari hausta; longo pere-
grinationum & aularum
usu corroborata:*

à

CYRIACO LENTULO,
Celsissimis Nassoviarum Principibus à Belli & Pa-
cis Commentariis, Eloquentiæ &, cum
Historiâ Sacrâ & Civili, Politices
Herbornæ Professore.



Herbornæ Nassoviorum, 1655.




SERENISSIMO AC
CELSISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

DN. GUILIELMO SE-
XTO, HASSIÆ LANDGRA-
vio, Principi Hirsfeldiæ, Co-
miti Cattimeliboci, Deciæ,
Zigenhainę, Nidde, Schaum-
burgi, &c.

PIO, PRUDENTI, FOR-
TUNATO.

Memoriã rerum gestarum
aut priscam animo comple-
cti, aut suam posteritati com-
mendare, suprema Principis
nihil mortale sapientis cura est. Una lo-
quacis famę veneratio, spatii determi-
natione separatur. Præteriti ruminatio-
nem Princeps aliis, futuri meditationem
sibi assignabit. Quanquam & priscæ tem-
poris feracem recordationem u s u sibi



CYRIACI LENTULI
De
 ARCANIS RE-
 GNORUM.

CAPUT I.

Veteris Reip. Anacephalæosis.

Urbem Romanam à Principio reges habuere. Libertatem & Consulatum L. Brutus instituit. Dictaturæ ad tempus sumebantur: neq; Decemviralis potestas ultra biennium, neq; Tribunorum militum consulare jus diu valuit. Non Cinna, non Sulla longa dominatio: & Pompeji Crassiq; potentia citò in Cæsarem: Lepidi atq; Antonii arma in Augustum cessere. Qui cuncta discordiis civilibus fessa, nomine Principis sub imperium accepit.

Qui veteris Imperii Romani ante Augustum Principem fuerit status, quibus vel mutationum vicissitudinibus, vel seditionum tempestatibus agitatus; compendiosa hæc narratiunculâ, diversam sub Cæsarum familia formam descripturus, recenset. Is, generatim ut loquar, Regius fuit aut Popularis. Nam vel unius jussu sub iusto regno Quiritis aspectabant; vel libertate vindicatâ per Consules, auctoritate Senatûs, populi arbitrio res gerebant. Dictatorum enim urgente necessitate absoluta, sed temporis angustia circumscripta potestas; Decemvirorum condendis legibus potentia; Tribunorum militum consulari potestate gubernatio, suspendit magis quam